



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel  
Francofurti Ad Moenum, 1690**

Caput III. Innocent. III.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](#)

Santarel. de heres. cap. 45. dub. unic. Gibalinus ditt. cap. 5. 3. part. Majolus lib. 2. de irregular. cap. 14. num. 6. qui eandem irregularitatem exten- dunt ad parentes, qui suos liberos rebaptizandos offerunt ad compates, atque alios cooperantes ejusmodi rebaptizationi, contra quos omnes etiam proceditur per Inquisitores in his regnis. Qualis tamen sit haec irregularitas, tam respectu rebapti-

zantis, quam rebaptizati, exponit Gibalinus ditt. cap. 5. part. 4. per rotam. Si tamen aliquis solo verbo absque intentione repabatizaverit, quamvis graviter peccet, non tamen efficitur irregularis, ut docent Henriquez lib. 4. summe, cap. 4. §. 3. Suarez ditt. disput. 31. scilicet 6. dub. 4. Gibalinus ditt. cap. 5. 4. part. quidem resolvit de rebaptizato per vim & gravem metum.

## C A P U T III.

Innocent. III.

**T**UAE fraternitati. *Et infra*: Super secundo articulo inquisitioni tuae duximus respon- dendum, quod clerici, qui sunt de apostasie criminis infamati, qui videlicet ab- jecerunt habitum clericalem, non sunt in facultati habitu tolerandi, sed per distri- ctionem ecclesiasticam coercendi, donec deficiente probatione, ad infamiam abolendam purgationem canoniam curaverint exhibere.

## N O T A E.

1. **I**nnocent. III. ] Ita etiam legitur in tertia col- lectione, *sub hoc tit. cap. unic.* nullibi tamen exprimitur cui referribat Pontifex, sed facile con- stat, legendum esse Brixiensis, ut in *cap. tuae, de Pro- curator.* ubi concessi alias partes hujus epistole.

## COMMENTARIUM.

2. **I**n hoc textu agitur de clero in sacris, & ma- joribus ordinibus constituto, habitum clericale deserente, qui cogendus est illum reassume- re pœnitis ad jure statutis, videlicet excommunicatio- ne, *cap. si quis ex clericis.* de vita & honeste clericis, pri- vatione fructuum beneficii, *Clement. i. cod. tit. in- carceratione, cap. a nobis, hoc tit. & jure civilisan- citum à Justiniano legitimus in novella 5. cap. 6. no- vel. 6. cap. 7. novell. 123. c. 15.* ut clerici, qui in ordinib- us sacris constituti, iis contemptis ad aliam vi- tam transiissent, pro ratione facultatum, vel Cu- ria civitatis sua servire cogerentur, vel Praesidis provinciae cohorti, seu officio addicerentur: quod postea mutavit Leo *novel. 7. & 8.* ubi similes deser- tores revocari ad priorem statutum jubet: idque etiam patet in *cap. quod interrogasti.* 27. *diss. cap. quem.* 20. *quaest. i.* grave peccatum est in clero habitum deserere, ut probat eleganter Sausay *diss. lib. 7. cap. 3. per totum.* Unde talis clericus apo-

stata appellatur; quo nomine tantum notantur magni peccatores Ecclesiae rebelles, ut Iudei, qui negaverunt Christum Regem suum, à Pruden- tio ibi:

---- *Formidinē rursus*

*Plebis apostatice, Dominum quæ ecclæ negasset.* Et hæretici, quos apostolas pronuntiat Tertul. de *prescript. ibi:* *'Persequitio martyres facit, heresis apostatas tantum.* Et Judam proditorem, apostatam dixit Sedulius *lib. 4. carminum.*

*Tunc vir Apostolicus, nunc viles apostata factus.* Excusatur tamen clericus non deferens habitum clericalem, velut si necessitas adiit tuendi vitam, honorem, fortunas, aut quidquam aliud simile, ut docent Glossa in *cap. nulla 21. quaest. 4. & in diss. cap. si quis ex clericis:* unde cum quidam reprehenderetur à Pontifice, respondit.

*Tutius ut peterem laici sub imagine Romam,* *Fas fuit ut finerem luxuriare comam.* Item excusantur clerici iter longum facientes, *cap. 3. 21. quaest.* ubi ex Synodo Romana sub Zacharia Papa ita legitur: *Episcopi, Presbyteri, Diaconi sacerdotalibus indumentis non utantur, nisi ut condecent tunica sacerdotali, prater si sustinere longo ambu- laverint.* Sed et clerici deserentes statutum clericalem, apostata dicantur; tamen nisi uxorem du- cant, non subsunt Inquisitorum jurisdictioni, ut probat Salletes *tom. I. de matri. Tribun. lib. 1. re- gul. 107.*

## C A P U T IV.

Idem in Concilio generali.

**Q**uidam (sicut accepimus) qui ad sacra undam baptismatis voluntariè accesserunt, veterem hominem omnino non exiunt, ut novo perfectius induantur: cum prioris ritus reliquias retinentes, christiana religionis decorum tali commixtione confundant. Cum autem maledictus sit homo, qui terram duabus viis ingreditur, & induit ueste non debeat <sup>b</sup> lino, itaque contexta: statuimus, ut per <sup>c</sup> Prælatos Ecclesiarum talis observantia veteris ritus omnimodi compescatur, ut quos christiana religio liberæ voluntatis arbitrium obtulit, salutiferæ coactionis necessitas in ejus obser- vatione conservet; cum minus malum existat viam Domini non agnoscere, quam post agnitam retroire.

NOTÆ.